tamquam leo rugiens quaerens quem devoret. Cui
resistite fortiter in fide. Per dominum nostrum ihesum christum qui cum
patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum amen. DOM.
CXV III. POST S. LAURENTII. Lectio sancti euangelii secundum lucam. cap. cci.
IN illo tempore. Dum iret ihesus in hierusalem. transiebat
per mediam samariam et galileam. Et cum ingrederetur
quoddam castellum. occurrerunt ei decem viri leprosi.
qui steterunt a longe et levaverunt vocem dicentes. ihesu prae-
ceptor miserere nostri. Et reliqua. usque: vade quia fides tua
te salvum fecit. OMELIA LECTIONIS EIUSDEM.
DOMINUS ac redemptor noster qui propitius humani gene-
ris saluti in hunc mundum venire dignatus est.
ut eos qui ad vitam aeternam erant praedestinati
vocaret ad fidem et gregem suum. per civitates et regiones
ambulavit praedicando et sanando multos variis languori-
bus oppressos. Et dum ingrederetur quoddam castellum.
occurrerunt ei decem viri leprosi. qui steterunt a longe. leva-
verunt vocem dicentes. ihesu praeceptor miserere nostri. Isti ergo
leprosi totum humanum genus significant. Cui peccata
originalia quae per praevaricationem adae contracta sunt
inhaerebant. Omnibusque vitiis et contagionibus variis
vitae mortalis erat oppressum. Longeque a deo remotum.
id est a paradysi gaudiis expulsi. sive longe erant ab eo
in adoratione idolorum et daemonum. et variis iniquita-

Require adhuc plenum ✠ textum t. qa. folia